

CIMELIA


Qu


4508



4508

GIMELIA





Poetae Polon.
171

91

Simonides (Simonis): Castus Josephus

Crae. in off. Lazari 1587

Fack

N. 425

POETAE POLON.

N. 139.

Aras uita

ms.

f. v. 58.

IX. a. 15¹/₂

CASTVS 756

IOSEPH.



Personæ.

- MALVS DAEMON.
- IOSEPH.
- FAMVLI.
- FAETIFER.
- IEMPSAR.
- NVTRIX.
- NVNTIVS.
- CHORVS expuellis Aegyptijs.
- SEMICHORVS.

D. STANISLAO SOCOLOVIO:
THEOLOGO REGIO: VENERA-
BILI MIRACVLO INGENII ET
LITTERARVM: VENERABILIO-
RI VIRTVTE ET MORIBVS: PATRI
SVO IN CHRISTO: SIMON SIMONI-
DES LEOPOLIENSIS LIB: MER:
DE. DICAVIT.

Cim. Qu. 4508

MALVS DÆMON.



*V*enio, inferum domos, & umbrarum
specum
Linquēs; ubi, telluris in penetralibus,
Superis seorsum, habemus infimi dij;
Vocare si par infimos; qui maximam
Rerumque, honorumq; occupamus gloriam;
Sæclaque hominum uniuersa, & hęc uiuentia
Nostro usu, & olim functa capimus mancupi.
Esto, creatos esse nos ab altero:
Esto, illo ab ipso, conditam orbis fabricam,
Cælôq; nos pulsos ab ipso eodem; & his
Datos locis, ubi horror, & squallor vigent:
Esto omnia hæc, creator, & rerum parens,
Superbiat scilicet, alazq; nominis
Umbram; penes nos interim, solida Imperij
Maneat potestas: templa nobis, victimæ
Nobis, sacri nobis dies, trophæaq;
Donariaq; struantur: ad pericula
Nos inuocemur: nos bonarum præsidēs
Rerum feramur: deniq; ipsi numina
Celebremur, & noscamur; ille incognitus
Cælo exigat sæclum. parum interest, ubi
Agas loci, at agas qualis, id verò interest.

Solenne prætereà hoc genus nostrum tenet,
(Diuinitatis quæ fides certissima est)
Honore macti, ut gaudeamus; male habiti
Impune non sinamus omnimodis modis,
Cuius animi, exemplum vel hodie, isthæc palâm
In iuvene nequam dabimus; & testabimur,
Quid conciti ira, quid benigni possumus.
Non sim, qui haberi volo; nisi effectum illicet
Do, quod loquor. men! quæ Senatus, quæ aula, quæ
Rex, quem populus, & purpurati omnes pauent!
Quem tota gens Egyptia, aut, quem tota gens
Mortalium, quæcunq;, & ubicunq;, aspicit
Solis iubar; sacrificijs, altaribus,
Honoribus, mensisq; certatim colunt!
Men' eimodi, inquam, numen! unicus puer,
Hebræa pessima soboles, fæx seruuli,
Contempserit! inultum id ei abierit peruico!
Dabitur opera, ne scilicet abeat; & quidem
Pridem, sciens peperceram; quum commodum
Necare fratrum inter manus possem; ratus,
Doctum periclo, mitiorem postea
Nobis futurum. sed video, non in loco
Me misericordia usum; acerbiorem enim
Inuenio; quanquam, quod caput odij huius est;
Cum stirpe tota Hebraica, vetus hoc mihi

Viget duellum ; ex quo potiti gentium
Sumus, hominumq. examina, in prædam meam
Cessere ; tum Regem supremum ipsum poli,
Ita comminatum serio commemorimus :
Breui, breui olim tempus adfore ; fœminæ
Cum semen, Hebræus iuuenis, hæc interim
Possessa nostra regna, vi exspoliasset ;
Pedibusq. sæuret super caput meum.
Id ne habeat, arcta cautio est ; & sedulo
Caui hæctenus : ideoq. quamcumq. indolis
Alicuius, aspexi propagem masculam ;
Insector vltro : aut ego neco, aut multo male ;
In patribus, in auis, in atauis, gnauiter
Hoc perpetratum : cum, quasi ex industria,
Exortus hic puer est ; statim à puero, Deo
Illi altero, addictissimus ; contra, mei
Contemptor acer ; non tuli impune ; & propè
Patrata cædes, dexteris fratrum fuit :
Sed miseritum est pueritiæ ; potiusq. in hanc
Oram, abdicandum seruituti censui ;
Si forte, cum loco, atq. fortuna, insolens
Exueret ingenium : ast nihil profecimus :
Ferocius agendum est ; nocensq. machina,
Torquenda quamprimum ; neq. ea minimæ notæ ;
Sed quam oppido fortissimam perspeximus :

Mulier, mulier, inquam, iuuentæ maxima
Siren: repertrix prima, mortis, & mali,
(Neq; enim alio reti, aucupatum inus animas
Plures; quã amore, & fœmina) hæc, hæc, inquã eat
Siquidem gradus iam factus est pulcher satis.
Cui iste seruit seruitutem, est Fœtifer,
Summo loco vir, summa apud Regem fide:
Iempsar illi uxor, supra humanum modum
Pulcherrima; eius ex animo ego sustuli
Mariti amorem, & seruuli huius intuli:
Quem si gerentem fecerit mori suo;
Confecta res est: noster est: victoria est,
Sin obstinatus manserit animo fero;
Tamen, facinus audacis, atq; strenuæ
Dabit mulieris: heu Iempsar, heu mea
Iempsar; in quanta Charybdi, nunc tuum
Pectus trucidò! sed quid ad me? dum modò
Ulciscar hostem: tu, vel alia, vel alia
Pereas, parum moror: unico isti, feminas
Omnes, velim impensas; potiri modò queam:
Sed ipse procedit foras; ego me aufero.

IOSEPH.

Uosné etiam, Herum, ad hanc celebritatē
Sacrorum, omnes comitaturi

Teſto

Tecto exitis? nullus ne hinc penes
Decumbentem, praesto aderit Heram;
Obsequio si quid, vel factio,
Opus adueniat; qualia multa
Circa aegrotos, plerumq. usus
Postulat; ut non satis una manus
Officio sit.

FAMVLI.

Uera quidem tu censes: atq. Herus
Digrediens, hoc itidem nobis
Præceperat; ut Dominae praesto
Essemus: verum ipsa, alio nos
Præcepto, ad sacra amouet; aiens
Primos medicos, præcipuosq.
Vitæ artifices, Diuos esse:
His quandoquidem sollennia sunt
Festa per urbem;
Fremus omnes supplices, atq. illius
Facentis, impleremus absentem vicem:
Ita spem esse, posse sanitatem consequi:
Te, cæteris cum foeminis, satis sibi
Dum nos redimus, vsui domi fore.
Ergo imus, & voto obsecundamus pio:
IO: Siquidem Dij isti sunt; vel hæc pietas pia est.

FA:

FA: *Tibi fors an impia, qui supra Dominos sapias.*
IO: *Nempe, Dominos supra sapio, dum seruiuo.*
FA: *Atqui Deos, quos hi colunt, tu non colis.*
IO: *Seruire Dominis, & colere Deum; aliud est.*
FA: *Cui seruit Herus; huic seruiendū est quoq. tibi.*
IO: *Herile corpus est, quod emit; animus Dei.*
FA: *An nō Heriles quoq. Dij, quorū animus est?*
IO: *Deos Heriles nescio; meum scio:*
FA: *Ergō, quod aio, nempe plus sapias, quā Heri.*
IO: *Cum Heris ego sapientia, haud contenderim.*
FA: *Verbo haud facis; verū solens factō facis.*
IO: *Bona verba quaeso: FA: Nū loq. videor mala?*
IO: *Modestius mecū agite; FA: Nil magis volo.*
IO: *Neq. memini meritis aliter animo meo.*
FA: *Fatemur: atq. integritatem candidæ*
Mentis tuæ, inq. nos amorem, agnoscimus:
Et quicquid, ab hominibus amicis, mutua
Poscit fides; debemus affatim tibi:
Tu namq. cum primū immigrāsti in hāc domū;
Fortuna quasi tecum immigrauit huc bona:
Mitto omnigenam abundantiam rerū omnium:
Mitto, annuā ubertatem agrorū, & messibus
Rupta horrea; innumeros greges mitto pecorū:
Mitto, auri, & æris, pæne, cornu copiae;
Duntaxat in rem quod facis nostram loquor.
Discor-

Discordijs antèbac scatentem istam domum;
Perpetuaq. odia, inter se alentem familiam;
Tu, amore certare docuisti haud iurgijs:
Aurem, tu Herilem, obsessam adulatoribus,
Tectis susurris liberasti; & publicum
Audire veritatis insueisti sonum;
Non blandiendo, verum agendo gnauiter.
Potiri Herilem gratiam, monstrasti iter;
Herumq.; non tam dicta cum dulcedine,
Quàm facta cum virtute, munerarier
Merito tuo instituisti; ut inde, nulla iam
Domus sit, ubi familia, vel frequentior,
Vel more cultiore, vel in Heros fide
Maiore, vel quæ niteat elegantius,
Cernatur; unquamq. Hero, ex æquo & bono
Ornante: tuq. cum inter omnes principem
Facile locum teneas; Herumq. habeas propè
Tuum; ita tamen mentem modestam deprimis;
Quasi ultimus, nulliq. sis rei: neq.
Te unquam malo quisquã usus; omnes cõmodo:
Unde, & supra inuidiam es; & omnibus viges
Charissimus, iuxta atq. honoratissimus.
Idcirco, & illa dicta mea, nolim putes
Animo maleuolo dicta; sed quoniam te amo,
Eamq. fortunam perennem tibi aueo;

B

Deos

Torpeo

venditus
ca abij:

me erit!
um tædijs,
ibus

ium,
me, asperu
m;
alitem

la;
um, à
meam,

spingeret;
gemens.
rgitus,
bus;
ent,

plices
patri,
tim

Deos colendos censeo; à quibus omnia
Bona dantur; & seruantur à quibus bona.
Tu, suasionem fortè si haud sequeris meam;
Saltem, profectam animo malo, non existima.

IO: Num quid boni vobis fit ex me, nescio:
At si fieri aliquid, benignè agnoscitis;
Id verò ego, à solo Deo meo, dari
Agnosco; vosq. idem velim sentire; & hunc
Solum colere; quanquam hæc negotij haud ita
Exilis est persuasio; quin non priùs
Deum doceri posse duco; quàm ipsemet
Se se sciendum insinuet agro pectori.
Nunc ite: & illos instituto patrio,
Quos Rex colit, colite; facem donec aliam
Vobis, superior ipse Deus illuminet.

FA: Imus; sed animum mihi tuus sermo pupugit.

IO: Illi abierunt;
Mibi nescio, qua frigida formidine
Cor obriguit: aures sonescunt: horruit
Capillus: arcta mens, velut magni mali
Præsaga torpescit: quid est! aut quid me erit!
O calites, ô Rex supreme calitùm:
Terra quasi hauriri, angulisq. ab omnibus
Videre videor appeti: pænè redeo
In vetera: talem pænè mentem illo die

Habuisse

Habuisse repeto; à fratribus quum venditus
Ex libero homine, seruus hæc in loca abij:
Sol ipse, tristius mihi quodammodo
Lucere cernitur quid est! aut quid me erit!
Noctem quoq, & Somnum, quibus cum tædijs,
Quibus cum acerbitatibus, & immitibus
Insomnijs, exegi! amari me à Deo
Nimis putem, nisi pereo: quin somnium,
Quale antea nunquã, horridũ, immane, asperũ
Vidi: appetentem circiter nouum diem;
Videbar in pulcherrimam quandam alitem
Mutarier, candore certantem niui;
Aurasq. penna permeabam splendida;
Cum derepente, in me cucullus impetum, à
Tergo facit: formamq. persequens meam,
Eo vsq. processit sequendo; domicum
Sub terream quandam specum me impingeret;
Pedore, ubi & squallore quassabar gemens.
Neq. sopor, illud erat; sed vsq. expergitus,
Totis volutim contremiscebam artubus;
Gelidusq. sudor, membra peruolgauerat,
Guttis renidens, atq. lassitudine.
Tum corripior anceps cubili; & supplices
Cum voce palmas cælitum extendo patri,
Meliora poscens: exq. ea hora perpetim

IC
F
I
Torpeo animi; & præsens quasi periclu horreo.
Quid est! quid erit! eia, eia anime, quid p̄jci
Spem! quid fatiscis! comprime anxitudinem:
Viuu Dominus, ille Dominus viuuit; sine
Cuius voluntate, pilus haud defluerit
Capiti tuo. tun' immerenti tibi mala
Dari! bonaué bene promerenti dixeris!
Plusué auturnes laboris impostum; solens
Quàm ferre possis! do manus, do equidē manus
Domine: tuum imponere; subire esto, meum:
Vel occideris; in te tamen fides mea:
Tu seruituti mancipasti: tu ex sinu
Patris, pusillum me abstulisti; sit tibi
Laus, atq. honor: tantum iuuentæ sis memor
Ætatis impotentis, atq. improuidæ:
Cumq. mala das; tolerantiam, & constantiam
Simul da: ero, aut nō ero; moriar aut sospiter:
Tibi moriar, tibi sospiter; sim, absim, tuus.

C H O R V S.

Strop. I.

Petra celebris est hīc
Quædam, vitrea dis aqua;

Fontem-

Fontemq. expositum urnis, saxo
Iaculans supremo.

Apud hanc, amica quæ -
- Dam est mea; flumineis
Pepla liquoribus
Tinguens; superq. ardua dorsa rupis
In sole aprico expoliens; ea atrum
Nuntium mihi insusurrauit.

Antistrop. I.

Sontica Iempsar ictam
Peste, agra domi occulere
Membra; & tæniolis caput obnu-
- Bere flauum; eamq.
Diem abisse tertiam,
Muneribus Cereris.
Ambrosium os suum,
Ex quo abstinet; cor tacito dolore
Ultrò exedens; pæneq. terminum Orci
Saucia, ante tempus appellens.

Strop. II.

Anné tu Domina ex Pane!
Anné es concita ex Hecate!

An turba ex Coribantum!
An matre montana ex multivaga!
An te impulit feris pollens
Dictinna! libi ob iners
Opus, & habita sacra profanè, ira-
-Ta! insanit namq. etiam per
Terram illa; per pelagus-
-Q. urget vaga vada ventis.

Antist. II.

Annè Fætiferum, quisquam
Alter vir, tuum Dominum,
Probrio addicere tentat!
Furtum illius molitus talamis!
An de tuo tu inaudisti
Non dulce tale aliquid!
Quod te vitæ saturet mox,
Vinctamq. lecto animam
Nodis cruciet amaris.

Epod.

Solet quoq. agræ, propagini
Fœmineæ, creperum malum
Puerperij, & inert-

- *Ae*, excors nausea adesse; meum hæc eadem
Transiit aliàs uterum incillans.
Obstetricem ast cæligenam,
Diuam arcitenentem,
Artemin, adij:
Præstò semper adiutrix cum
Diuùm adfuit fauore.

Anapesti.

Verùm eccum, pro foribus nutrix,
Hanc ipsam, extra talamum ductat,
Horrens, atra nube supercilj:
Hoc quicquid sit, discere auct mens.
Heu me, quàm væpallida Dominae
Facies; quàm illum primum florem
Formæ penitus amisisti!

N V T R I X.

Miseranda hominum vita, & morbi
Ter miserandi:
Quid iam faciam? aut quid non faciam?
En tibi clara ea lux, en hic æther,
En apricum, en Sol, en patulae auræ;
Quorum cupiens, unum id in ore

I
Nuper habebas; surgere, linquere,
Infelix stratum; procedere,
Vesci cælo; en, quàm subito istud
Fastidis! stratumq. iterum appetis!
Respuis omnia; nil tibi volupe est:
Quod adest damnas: quod abest poscis;
Mox quoq. id ipsum, horres & refugis:
Quid iam faciam tibi! vel quid non
Faciam!

I
I
Agrotem potius, quàm agrotos
Curem. simplicior enim hæc labe;
Doleas, si ægrotes: si agro adsis;
Et menti dolor, & manibus labor;
Omnis vita hominum ingratißima;
Nec requies hinc ulla laborum.
Certè aliam vitam, hac potiorem
Tenebræ offusis nubibus arcent;
Nos tamen efflictim hanc deperimus;
Quæ sub sole hinc obuia claret;
Vitæ propter inexperientiam
Alterius, rerumq. supra nos;
Fictisq. ultrò ferimus nugis.

I E M P S A R.

Suscipite humeris; suscipite ægram,

Tollite

Tollite fessam; solior nervis
Omnibus; omnia lapsant membra:
Fulcite caput: fulcite ægra
Colla: rotatur mundus: currit
Terra; cado, cado, pereo: date mē
Date vestram manum;
Suscipite meam, suscipite manum;
Ventum facite, demite tæniam
Capiti; grauis est, grauis est, soluite
Crinem: ach me, ach me.

Nv: Obfirma animum; neq; te toto
Corpore projice filia:
Qui placidum se se, & generosum
Morbo impertit; minus ægrotat:
Ista nati lege homines sumus;
Multa in vita perpeti oportet.

IE: Heu quàm parui culmine tecti
Rure in vacuo, viuere seruam
Dulce foret: quàm fonte ex puro,
Puris lymphis, sedare sitim;
Somnumq; vdo gramine inire.

Nv: Filia, filia, quid deliras!
Quid te oblita es! solam te isthïc
Reris! ne mihi, ne quæso hac in
Turba, excensos sermones sere;

Qui te mentis captam infament.

IE: *Age fufum mî, date qui filum
Ducam; libet ad lumina fera
Flammæ hibernæ, peruigilare;
Non fôli viuunt opulenti:
Ducite nuptum me: vrite faculas:
Induite oculis, crocinum flammeum;
Seruo cupio, ferua locari.*

Nv: *Apage obsecro, dicta indicta hæc:
Me miseram, num verè desipis!
Nam quid tibi cum fufis Dominae!
Aut quid Heræ cum feruarum operis!
Quid cum faculis, pridem nuptæ!
Me miseram, num verè desipis!
Lymphæ puros latices pofcis!
Non tibi viuo saliens pumice,
Fons, per mediam murmurat aream;
Quo cupida fitim ftinguere poffis.*

IE: *Signum pecori, numerum frugibus
Libet imponere; libet occludere
Resinis dolia; condere, promere,
Libet omne penu; famula ô Domine
Sim tua; sim tua ferua ô famule.*

Nv: *En quale iterum dixti dictum!
Modò te aiebas, fera ad lumina*

Fufum

Fusum ducere ; iam media inter
 Armenta erras , numerasq; pecus ;
 Artem hæc poscunt ariolatricem :
 Certè aliquis te , filia , Diuûm
 Vexat , sanumq; amputat animum.

IE: Infelix ego , quid tandem egi !
 Quò deueni ! quò rationis
 Itere ex recto , deuia flexi ?
 Desipui , cecidi , icta flagello
 Diuûm : ach me , ach me.
 Obnube mihi ; obnube caput , mea
 Mater ; oculum lacryma perpluit ;
 Facies conturbata rubore est.
 Ach me , ach me.
 Si ex vitijs respiscas ; dolor est :
 Si cum vitijs vesanire
 Porrò pergas ; porrò habeas malum ;
 Præstiterit , nil gnarum , nilq;
 Oppetisse scientem.

Nv: Obnubo ; sic utinam mors me
 Subitò obnubat :
 Nam quò vitæ prolixæ usus ?
 Nisi ut aduersis pluribus instruat ;
 Multa tamen me docuit senium ;
 Quorum volupe est vel meminisse :

Et tu filia crede experta:

Nunquam vitium contrahere optimum

Equidem duco; at vix humanum;

Soli etenim Dii sunt sine noxa;

Homines, labimur, & consurgimus;

Quanquam surgere, fit cum magno

Morsu animi, magnoq. pudore:

Surgendum tamen est, potius quam in

Sorde iacendum; hæc altera tabula est,

Post naufragium: non resipiscere,

Sed grassari, per scelera in scelus;

Plusquam insanum iudico, & amens:

Porrò quid virtus, quid vitium

Ignorantem, velle perire;

Brutæ est pecudis.

IE: *Promptius ista est verbo dicere*

O mater, quam factò ostendere.

Durum; quod dolet, ut non doleat.

Nv: *Fateor; namq. tuo ipsa dolore*

Doleo: ætatemq. meam contero:

Si modus ullis est seruandus

In rebus; amicitias censeo

Quàm mediocres misceri; neq.

Intimam ad animæ haurire medullam.

Ut quod volupe est; sit tractabile;

Sine

*Sive intendere, sive remittere
Libeat; verum hoc indignissimum;
Binum, unam animam ferre dolorem:
Atq; ego nunc, ad mea priuata
Damna, tuo etiam afflictor damno.
Quin, vitæ quoq; nimum studium,
Officere magis, quam proficere,
Habitumq; bonum corporis aiunt,
Frangere potius, quam stabilire.
Nimum omne, minus laudo; siquidem
Ne quid nimis; ut docti suadent.*

Ch: *Mulier senex, Dominae meæ, fidissima
Nutrix; video quidem palam infortunium;
Verum est in obscuro: quid hoc mali fiet;
Scitari igitur ex te, atq; discere volumus.*

Nv: *Scitans, neq; ipsa scio; fateri enim abnuat.*

Ch: *Neq; eloquitur exordium aegritudinis!*

Nv: *Ad idem redis; silescit usq; hæc omnia.*

Ch: *Quam concidit: quam tabuit: quam marcuit.*

Nv: *Non potuit aliter; tres dies cibo abstinens.*

Ch: *Morbine vitio? an ita, sciens ut se enecet?*

Nv: *Planè enecet; deliquium ad animi usq; abstinēs.*

Ch: *Mira memoras; quid Herus! vel ea nō percipit!*

Nv: *Occultat ipsa; neq; sui indicium facit;*

Ch: *Quid! intuens vultum, videre non potest!*

Nv: *Quid ni videat! ast illa simulat malum aliud.*

Ch: *Quin tu ipsa tormentū aliquod adhibes! & mali
Fontem elicis! vel prece; vel instigans minis.*

Nv: *Ad cuncta descendi; nihil potui tamen;
Verūm neq; hanc vicē; remittam hilū ab animo;
Vel tu ipsa, præsens ut fuas testis mihi;
Qualem ego me Heris indulgeo malè habētib9.
Age, ô caput charum, prius quæ dicta sunt,
Vtring. sunt indicta; tuq; lætior
Frontem explica; dimitte verò obstipum iter;
Atq; adeò, ego ipsa sicubi fui durior,
Dimitto; ad aliaq; meliora dicta eo:
Age, si tibi, quod dicere pudeat, dolet;
Hæ fœminæ, callent mederi fœminis;
Modò creduas illis; boni aliquid consulent,
Sin' ad viros quoq; morbus est volgabilis;
Eloquere, medicis ut negotium detur;
Age; quid silescis? esse mutam non opust;
Sed; vel redargue, male si videor loqui;
Vel si bene; bonis da locum sermonibus.
Dice aliquid: ostēde os: speci huc: heu misera ego,
O fœminæ, frustraneus labor meus;
Ibidē à prioribus absumus; neq; enim antidhac
Verbis mouebatur; modò etiam respuit:
Hoc quoque tibi scias; vel mari a spriorem, ego
Te iam*

- Te iam putáro ; si mori cruaa obstines ;
 Teq. dominumq. tuum, tuosq. liberos
 Prodens ; quibus plagosa mox aliqua imperet
 Nouerca ; miseris tractet modis ;
 Vel seruoli ipsi pessimè usq. insultitent ;
 Vel iste, qui ante te potitur nunc domo
 Iosippus. IE: Ach me. NV: pungit hic te scilicet.
 IE: Perij ; occidis me mater, undiq. occidis ;
 De iuvene eo, sit obsecro silentium.
 NV: Vide, ut sapis ! sapiens tamen, dedita opera,
 Seruare te tibi, tuisq. negligis.
 IE: Amo liberos ; sed iactor alio turbine.
 NV: Verùm tamen puras manus fers crimine.
 IE: Manus quidè puræ ; ast animus ærumnã habet.
 NV: Num inimicus aliq. cõscit in te aliquod malũ !
 IE: Amicus exest ; non volentem, non volens.
 NV: Num Fætifer Dominus facinus in te facit !
 IE: Vinam ne ego illum inueniar afficiens malè.
 NV: Quæ tandem ea est acerbitas ; quæ urget mori !
 IE: Sine me mihi nocere ; tibi enim noceo nihil.
 NV: Non verò sino ; tuum malum, meum malum.
 IE: Apage, abstine manum ; hæc quidem est iniuria.
 NV: Vel genua tua tenuero, neq. dimisero.
 IE: Mala, ô misera, tibi, si rescueris, mala.
 NV: Quod mihi malum maius ! tui quàm amissio ;
 Occidis ;

- IE: *Occidis; honori mors mihi; probro salus.*
NV: *Cur me hæc honesta postulantem non doces!*
IE: *Siquidem ex honestis machinamur turpia.*
NV: *Futura fortè honesta si narraueris.*
IE: *Discede per Deos, manumq. omitte mi.*
NV: *Non fecerim; quum tu, quod oro, non facis.*
IE: *Fam facio; peruincis sacra hac manu tua.*
NV: *Age, ocyus fandi capesse exordium.*
IE: *Quid ego misera dicam! sine, ach mater, sine.*
NV: *Iam pollicita; fidem caue fefelleris.*
IE: *Fallere fidem præstat; quàm iniqua proloqui.*
NV: *Non in bonis, sed in malis, consulto opust.*
IE: *At non potis consilio agi labes mea.*
NV: *Nil tam mali est; quod consulens, non explices.*
IE: *Rem perditam, nulla explices, vi consilij.*
NV: *Seruantur vrbes perditæ vi consilij.*
IE: *Ergò tuo tandem periculo loquar.*
NV: *Loquere, vel in periculum vitæ meæ.*
IE: *Quisquis sceleris ansam dat; an scelus facit?*
NV: *Pars vna sceleris, huius, huius altera.*
IE: *Quid? qui insciens, occasionem dat mali?*
NV: *Nullo tenetur crimine ignorantia.*
IE: *Ach me, Domine, quàm pæne bis te vulnero.*
NV: *Num de marito quid sinistri suboluit!*
IE: *Etiannè tu viros putas delinquere?*

Etiannè

Nv: *Etiam vitia cadere puto in sanctissimos.*
 IE: *Nil miri itaq. muliebri si ingenium cadat.*
 Nv: *Tenerior animus, noxiae proclivior.*
 IE: *Veniam ergo, mea quoque noxa iure inuenerit.*
 Nv: *Non omnibus noxis venia eadem datur.*
 IE: *Quid quaeso? quale hoc est, amare quod vocat?*
 Nv: *Suauiissimum, & amarissimum, filia, malum.*
 IE: *Nos alteram tantum huius utimur vicem.*
 Nv: *Eho: tibi ne praeter virum cognitus amor!*
 IE: *Nollem agnitum; sed rapimur aestu ingratis.*
 Nv: *Quis is! vel unde! crimini qui te appetit!*
 IE: *Cuiatem eum tu dixeris iuuenem exterum?*
 Nv: *Nostrumne Iosippum!* IE: *loquentem te audio;*
Non ipsa narro. Nv: *Proch Dij Deaque; quid*
Ego audio! nostrumne Iosip! illenē
Iosippus! illud unicum delictum Heri!
Ille oculus alter! lux, fides, columen domus!
Functam me oportuit prius; quam haec audio:
Uno hoc die plus viuo; quam viuendum erat:
Abite iam mihi deinceps, moribus
Quotquot subaratis, dolosum intrinsecus
Calatis animum; corde sublesto, & cato;
Qui fronte venditare sanctimonias
Didicistis; intus agitis aerugo mera.
 CH: *Et me non mediocris impetuit*

Admiratio ; talibus repertum
In malis , iuuenem hunc ; præire cunctos
Qui visus mihi moribus modestis:
Ignosco sed enim ; acer Imperator
Est amor ; senibus quoq; egelatis
Cit incendia ; nec viros remittit ;
Quantò perniciosior iuuentæ est ;
Cui cor feruet , & ipsa adurit ætas.
Non amem ; vel amem pudico amore.

IE: *Egyptiæ puellæ , amicum mihi genus ;*
Persæpè noctis circiter meridiem ,
Quàm tectus aër astricis silentijs ,
Sopore corda vincit , & sensus domat ;
Ego quietis cassa , mente peruigil ,
Animum meum speculatum in orbem misi ; uti
Me certiozem redderet ; quibus modis
Damnosa vita perditur mortalium :
Dispexi , & aduerti ; nihil cuiquam mali
Præter suam sententiam , atq. arbitrium
Accidere ; plurimis enim bene sapere
Datum est ; sed hac ratione erit res clarior .
Quæ sunt bona , omnes scimus , & cognoscimus ;
Nec elaboramus ; alij ob socordiam ;
Alij , voluptatem anteponentes bono .
Verùm , voluptatum genera sunt pluria :

Ignauia

Ignauia quoq. non caret dulcedine ;
Vel ipse morbus garriendi suauis est :
Pudor etiam cessationis mel fouet.
Geminus quidem ille ; ornamen alter , & color
Virtutis ; alter pestis , & scabies domus.
Quorum omnium , summum decus , opportunitas.
Hæc cogitans , & mente firma combibens ;
Nullum putarum tam venenum urgens fore ,
Quod me inficere , & ex arce rationis dare
Pessum potesset . dixero quoq. iter meæ
Constantiæ : ubi me sauciauit primùm amor ,
Considerabam protinus ; quæ quàm optimis
Modis , sagitta liberarer ipsius.
Exinde principio tacere , habere clam ,
Vulnus tegere cœpi : quis usus linguæ enim !
Aut quæ fides ! quæ tectâ consilia foras
Eliminans ; aliena damna corrigit ;
Sibi interim non providens conscit malum ;
Tum ferre placidè ; amentiamq. , modestia
Peruincere statui : deinceps , ubi animus
Flecti repugnat ; nec furor frangi potest ;
Visum optimum est ; mala , morte luere : cui meæ
Sententiæ nulla esto contrauentio.
Ita mihi sit ; neq. lateam , faciens bene ;
Neq. faciens male , teste sub multo siem.

Scio, facinus grande esse, sibi molirier
Manum: scio, facinoris indignissimam
Causam; mulier adhæc, patiens tantum nefas;
Opprobrium, odiumq. omnium video fore:
Sed pessimis pereat modis; sanctum tori
Consortium, quæcunq. princeps institit
Scelerare, & ad viros fidem extulit exteros.
Nobilibus ex domibus, datum est fædisimum
Huius mali exemplum; inq. vulgus proditum.
Præstantioribus enim ubi turpia placent;
Videntur illicò infimis pulcherrima.
Porro, odi & illas; quæ pudicæ, grandibus
Verbis tenus, sub corde cælant pessimas
Audacias: istæ, ô Domina Pontica Cyprj,
Qua fronte, tandem coniugum vultus sacros
Contrà obtuentur! quomodò vel complices
Sceleris tenebras non pauent! atq. angulos
Ipsos domorum! fortè ne vocem duint:
Hæc namq. me, ô charæ, neci nunc mancipant;
Ne unquam virum metū inueniar vrens nota
Infamiæ; neu filijs conflem nefas;
Quos strenuos quandò sine scelere extuli;
Iuge hoc decus habeant; diuq. florent
Splendore mentis; gloriosi vel meam
Vicem; nec ob matrem male in vita audiant.

Licet

Licet quis animi maxima pollentia
Sit præditus; seruiliter illicò tamen
Sapiat necesse est; si paternorum sciens
Sit criminum: hoc ferunt, vel carius
Vita esse, cui iusta, atq; honesta mens adest:
Quod si accidat quandoq; vulgari improbos;
Tum tempus, ac si virgo, speculi in æquore
Maculas notat; vulgoq; proponit palâm:
Quos inter utinam ne inueniar ipsamet ego.
Hoc vltimum non vos tamen cælauerim;
Omne meam culpam esse; inuenem hūc criminis
Nihil dedisse; præter eximia quod est
Forma; meam quin sedulo cupidinem
Pruam refugere; quod ne sitis nesciæ.
Ch: Euge pudor, euge; quam ubiq; splendidus viges.
Tuisq; laudem comparas cultoribus.
Nv: Hera, mihi prima fronte calamitas tua,
Pauore cor expectorârat: ast modò
Quam vana fuerim sentio; ita mortalium
Secunda cogitata plus sensus habent.
Nihil supra humanum modum; nihil supra
Perpeffa naturam es: potens in te Dea
Frruit, amas: quid tum! quid hinc miraculi!
Vulgarium hoc est plurimis mortalibus:
Ideone vita deserenda! ideone mors

Obeunda! mitte lubricam mentem tuam:
Nimum sapis. nimum sapere, nimum malū est.
Morbis mederi clade; dura amentia est.
Si iam patrasses morte condignum nefas;
Tamen ideo non iure mortem exposceres:
Nunc vana cogitatio duntaxat in
Te ebullit: quam si potenter viceris;
Neq. te ferendam affectibus permiseris;
Bis tantidem iugi potieris gaudio.
Iucundius periculum est euadere;
Quam nescientem omnis manere periculi;
Cuius tibi optima iacta sunt fundamina.
Medium medellæ propè habet; ægritudinis
Quisquis genus nosse potuit; quod Filia
Promptum tibi est; cætera dies curauerit.
Laudo, ob oculos habere te sobolem tuam:
Laudo, malam esse nolle vel eorum vicem:
Præire virtutem, parentes filijs
Par est. suos sui enim æmulantur commodè:
Quanquam neq. eum ego filium probauerim;
Qui vitia, potius æmulus juat patrum;
Quam facta cum virtute. mortales sumus
Omnes: vicissatim bonum in vita, & malum est:
Illud colere, quærere, sequi; hoc, nec audiens
& Audire, nec videns videre, filius

Debet;

Debet ; pius quisquis, timensq. Deum esse vult.
Quin sæpè, patrum errata, magnum filijs
Dedere stimulum, ad strenuè, atq. fortiter
Agendum; ubi animus labis impatiens, supra
Iniuriam esse; & ora vulgi claudere;
Noxasq. maiorum, suis virtutibus
Obducere satagit. quod è contrario,
Frequentius fit; optimis ex patribus,
Ut pessimi sint filij, & noxæ meræ;
Virtute qui partam parentum gloriam,
Titulo tenus duntaxat in se transferunt;
Ipsi, nihil minus cluunt, quàm nobiles.
Quò, neq. tuis te liberis impendio
Nimio esse sollicitam, neq. mori velle fas.
Si liberali præditi ingenio vigent;
Vel vsq. te cessante, perstabunt boni.
Aut, cura si hæc tangit nimis; quod tu obsecro,
Viroq.ue, filijsq.ue, tibiq.ue, enormius
Opprobrium reliqueris! quàm si necem
Tibi, ipsa consciscas! boni consilij opus
Hoc scilicet putabitur! vel impotem
Mentis; vel actam criminum furoribus;
Vel à marito atrociter habitam, ferent.
Erige animum; & minus malum, elige in malis.
Ch: Præbere temet consulentibus bene

Domina

*Domina decet ; præclara dictio tua
Quidem est ; sed huius oppidò salubrior ,
Magisq. præsentanea , ad vulnus tuum .
Sed non ferundi tempus hęc sententiam
Vtra gnarius dixit ; sed instandum optimis .*

IE: *Vtinam réapse mala pati , ita facile foret ;
Ac suafione dicitur ; caret auribus
Dolor ; altiusq. sauciata vulnus est
Mentis ; mederi lingua quàm verbis queat .*

NV: *Pergis muliebriter loqui Filia ! neq.
Te respicis ! qua nata sorte : qua domo :
Qua opulentia : quibus parentibus : quibus
Donis Deum : quibus propinquis : quo viro :
Sed mitto ea ; vel humanitus tecum loquar .
Tun' posse , quenquam matre mortali satum ,
Reris , malorum ducere exsortes dies !
Solis beatissis esse Diuis contigit :
Nobis hominibus , vna particula boni ,
Malis duobus temperata ceditur .
Sapiens , quod agrè est , sedulo domi premit ;
Quod commodò est , in publicè profert palam :
Hęc alea , aliter cadere nequaquam potest .
Fortuna quantò tua putanda facilior ,
Cui plura bona , collata sunt diuinitus ,
Quàm mala ; animù tantùm pares ; qui uti sciat .
Plerumq.*

Plerumq; satias, insolentiam parit;
Porro, insolentiæ exitus semper ferox;
Illud vide, filia, tibi ne quoq. suat:
Ut conferendis in bonis, faciles Dij
Sunt; ita graues plectenda in insolentia.
Obfirma, & obdura: nimia lasciuiæ est;
A quo bona habeas, nolle mala pati indidem;
Diuinâ sortem corde concupiscere.
Amans, amorem frange cum prudentia:
Morbo iccta; morbum vince cum patientia.
Vel verba quoq. sunt dia; sunt magicæ notæ;
Sunt fortia indigationum carmina;
Quibus, vel ipsam flammeam vim sopias:
Serû est, quod homo vir callidi quid adstruat;
Nos fœminæ nisi cœpimus negotium.

IE: Parce obsecro laudare fortunam meam;
Ex qua, nihil, præter onus, & certissimam
Pestem, redundat ad me: habere plurima:
Coli ab omnibus: abundare luxu, & otio:
Nihil manu propria, vel attingere quidem:
Nil seriæ curæ instituere: nil dare
Vllo labori; æuum sed omne impendere
Comuiujs, ornatibus, spectaculis;
(Ut morem habemus fœminæ magnatum)
Quæ tam seuera mens sit! inter lubricas

Has vanitates; quæ mali aliquid non trahat!
Nolim ex meo ingenio æstimare cæteras;
Tamen profabor: quæ maritis nuptum eunt;
Magis se ab illis duriter, quàm blanditer
Tractari ament; damnosiores reddimur
Enim licentia: & , nisi animus indies,
Gnauū aliqd habeat, quod volutet; nō mora est,
Quin tanquam in agro pinguis arui, frugibus
Non consitis, herbæ malignæ inborreant.

Ch: Hera, nullum adhuc dictū audij ex te, perperū:
Hoc liberè effarim tamen; nullam esse, tam
Orationem conditam optimis modis;
Quæ sola per se, quod salubre est, conferat;
Sine facientis ope: ergò quòd faris, face.

I.E: Pulchrè mones: hoc scilicet cultissimas
Euertit vrbes: hoc domus pessumdedit;
Impensa dicti cura, facti incuria.

Nv: Tamen dolorem dicta sueta demere:
Neq. mihi nunc quisquam labor præsentior;
Sermone seu res, seu queat factò effici;
Quàm te leuare, pristinamq. reddere
Mentem tibi; modò ipsa temet præbeas:
Sive hunc amorem ponere, quod optem magis,
Sive indipisci deligas; vtrumq. do:
Seruare ted ego sospitem, & superstitem.

Magni

- Magni aestimo; neq. hoc mihi inuidiosum erit.*
- IE: *Hau, quid locuta mater es! caue obsecrò
Mì tale verbum dixis, ignem quod habeat.*
- NV: *Non hercle verò dico; neq. factum velim:
Sed potius ausim cuncta; quàm te perduim.*
- IE: *Ne quæso mihi fac mentionem turpium.*
- NV: *Hoc turpe, honesto longè fructuosius est.
Res ipsa melior, quæ potis saluam dare,
Quàm fama; cuius appetens, male oppetas.*
- IE: *Ne per Deos, (bene enim mones, sed turpia)
Ne mihi itera hæc; sat obstinatum animū gero
Aduersum amorem; ne, dum honestè, turpia
Circumloqueris, eò incites, unde fugio,*
- NV: *Siquidem ita polles mente, certumq. est pati;
Euince, perfer, laudo criminis fugam:
Sin minus; obedi mihi; secunda erit hæc salus.
Sunt philtrea delenifica quoq. amoris mihi;
Quorū modò in mentem quàm oportune venit;
Ea, cis pudoris, cis animæ periculum,
Morbum leuasint; tu ipsa modò non obluas.*
- IE: *Quæ philtrea amabo? unguine, vel debent bibi?*
- NV: *Quid quæris hæc! uti velis, non discere.*
- IE: *Subtrepido, ne istud callidum nimis fuat.*
- NV: *Nimis pauens, pereas nimis; quid te abijcis!*
- IE: *Tacitum tamen sit hoc; nec in vulgus eat.*

Nv: *Mecum labor erit iste : vosq̄. ô unica
Amicæ, idem adiuuate; quandoquidem bona
Fortuna quædam, huic tempori vos hîc dedit.
Amicus in periculo instar omnium est:
Amoris, in periculo, periculum est:
Ego interim abeo; ut quæ scio factu optima,
Properem domo: vos hîc mihi seruate eam,
Donec redeo: solam esse non permittite;
Nam solitudine nihil huic nocentiust.*

Stroph. I.

Ch: *Amor, dolose amor; ingerens
Ardorem oculis; & inde, ad imum
Cor, flexanimi penetrans cura;
Ne mi aduenias sinister unquam:
Neu turbator adsis.
Non malignior est
Vis ignium: non ullius
Astri, tuo præ veneno;
Nocente quod manu
Sæuus iaculâsti.*

Antistro. I.

Fera inter arma, periculum

Sufferere,

*Sustinere, tutius potis sim;
Quandò rapidam unguam equorum, Mars
Strigat; tunicam supernè abenam
Indutus; rhedaq. ex
Ære conspicua,
Huc vulnera, atq. huc seminans;
Quàm stare contrà sagittam
Amoris; illitam
Dulcedine amara.*

Stroph: II.

*Ætatem teneram,
Hæc nefaria serpens,
Meam olim momordit;
Quibus malis tum
Prostrata non iacui misera!
Horreo hodie quoq. illam
Cladem: penitusq. exse-
-cro; animus, pudor, os, frons,
Virtus, fama, honor, pietas, Deus, cor,
Exulauerat à me.*

Antistro. II.

Anni, anni indomiti,

E 3

Flos

Flos iuuenta animosa;

Nihilné aggredi unquam

Salubre scitis!

Semperné, quod breuiter volupe est;

Perpetuo in omne sæclum

Mercabimini luctu!

Amor, exigua post

Guttam mellis, improba apes, relicto

Auolat tumido ictu.

IE: *Silescite obsecro, silescite : namq; ijs*
Dictis, recrudescit cicatrix vulneris.

Ch: *Nos hæc medendo vulnere putauimus.*

IE: *Frustrà putastis; namq; vulneror magis.*

Ch: *Sanari ego, contrarijs contraria*
Putauit: amorem; amoris odio, & nausea.

IE: *Amoris ingenium, parùm perspectum habes:*

Amori, amoris mentio ipsa, noxia est:

Bona, vel mala sit illa; tamen extemplo nocet:

Salus amoris; sola fuga, & obliuio.

Quin, quicquid aduersi vsquam in vita accidit;

Id tempore, atq; obliuione existimo

Solere sanari: illa demendis malis

Constructa dicta; consilia, solatia,

Orationes, suasiones splendida;

Nugæ meræ sunt: quin dolorem confricant

Potius,

Potius, & usq; exasperant, quàm leniunt. 70
Porro, methodum tempus hanc medendi habet:
Præsentia mala, instantibus; vetera, nouis
Excludit: interdum grauias, minoribus;
Grauioribus, minora sæpe pensitans:
Magno velut mari; minorem, grandior
Fluctus quatit; nec pausa tranquillo datur:
Qui stare contra, cautis in morem, quiq;
Dorsoque, fluctus oblatrantes, dispulit;
Hunc strenuū, hunc fortem puta. pars plurima
Hominum: ubi quid præter voluntatē accidit;
Quasi pueri parui, caducum sicubi
Offendimus pedem, lapidem ubi offendimus,
Pugno insequimur; à quo illicò fugiendum erat:
Mala namq. quò magis teruntur, magis olent.

Ch: Prudentiam tantam tuam, Domina, utinam
Meis quoq. usurpare in aduersis sciam:
Bene habet vetus dictū; ad bonum, vix transitū
Dari, nisi ex malo; albaq; colorem ex nigris
Assumere; atq. adeò cadere summos viros
Plerumq. prodest; ut facem minoribus
Præluceant surgendi: eandem quàm cadant
Lapsi ruinam; ut vel tuo exemplo, mihi
Promptum sit, esse cautiorem in posterum.

IE: Heu, heu, in hanc fortunam ego seruata sum!

Fierent

Fierent vt in me, exempla pessimæ notæ.

Ch: *Non pessimū hoc; gradus vnde datur ad optimū.*

IE: *Hoc optimum, libenter à me segregem.*

Ch: *Morbône strata, sanitatem segreges!*

IE: *Ego sanitatem laudo; sed quæ est perpetim.*

Ch: *Nil perpetim in vita datur mortalibus.*

IE: *Morbos tamē, nunquam in bonis numerauerim.*

Ch: *Morbis carere, vel mederi, æquè bonum est.*

IE: *Minus bonum est; origo cuius ex malo.*

Ch: *Maioris artis est, facere bonum ex malo;
Quàm nulla damna labe cassum incurrere.*

IE: *Hac arte gratis cuiuslibet concesserim.*

Ch: *Gratis, vel ingratis, ferenda fors tamen
Cuiq. sua: quæ, si bona sit, amplexanda; sin'
Mala, arte corrigenda: tum, quàm maxime
Id cogitandum; neminem soli sibi
Natum esse; sed, vel ipsum in alios iugiter
Spectare; vel spectari ab alijs mutuūm.
Vitamq. non nisi æmulando viuier.*

*Ergò, magistra quandò virtute gradimur;
Nō minus in alios benefici, quàm in nos sumus;*

Exemplar ad nostrum, se ipsos qui exigunt.

Sin' cæspitare quandoq. in vitium obtigit;

Nulla mora; rapiendus illicò gradus

Ex labe; formandusq. rectam ad regulam;

Ne cæteros

Ne cæteros nostram vicem labi accidat.

IE: *Esto; siquidem ita reris; exemplum ut alijs
Dem; dabitur exemplum, palamq. docebitur;
Quantum malum in vita sumus, nos feminae.*

Ch: *Bonum doce potius; malæ sat dicimur.*

IE: *Et iure sanè dicimur meritissimo.*

Ch: *Hau, Domina, quæso hæc verba cõpendi face.*

IE: *Compendi ego! quæ me scio nequissimam.*

Ch: *Honestius de te aestima; de alijs quoq.*

IE: *Non habeo me laudare: quod res est loquor.*

Ch: *Æquale vitium est, prædicare summa de
Se; & ad ima se dicto suo demittere.*

IE: *Ligo, ligo mihi; feminae malæ, malæ.*

Ch: *Malas quidem haud nego: sed in quibus boni
Pars maior; in simpli malæ; in duplo bonæ.*

IE: *Hau, parce quæso talibus falsiloquijs:
Nos ad duplũ, in simpli malæ! imò in centuplo
Si conferantur commodis, incommoda.*

*Nos iurgiosæ, tædiosæ, malè habitæ,
Malè domitæ: incicura, inexpedita gens,*

*Molestæ, suspiciosa, fallax, peruicax,
Fluxæ fidei, lubrici animi, oris leuis:*

Contentiosæ, sumptuosæ, prodigæ:

Sapè impudicæ, sapè vendulæ tori;

Ut cætera sileam: istud unicum bonum

F

Agnosco

*Agnosco nostrum; liberorum quòd sumus
Matres; domusq. posteris producimus.*

Ch: *Quanquam, quod antè dixi, inesse in omnibus
Non do; tamen vel insit: istud unicum,
Quod deinde nostrum agnoscis; omnes noxias
Illas, lepore proprio præponderat;
In vita enim nîl liberis iucundiùs.*

IE: *Hæc illecebra nempe fallax liberum;
Necessitatem perferendi maximi
Incommodi, imposuit viris; nosq. improbam
Mercem, parandam suasit, in certum malum:
Ast seminari si hominum oportuit genus;
Cis feminarum usum, fuisset id utinam:
Præstiterat, immortalium templis Deum,
Tantum, aut chalybis, aut æris, auri aut diuitis,
Inferre; quantum quisq. deprimeret puer:
Atq. ita propagem liberum emptam tollere,
Domosq. colere liberas, sine feminis;
Quum pestis huius, in domum introductio,
Vel inchoatur magno opum dispendio.
Quin ipse, (quod nos haud bonas liquidò arguit)
Qui protulit, qui aluit pater; procul suis
Ex ædibus, domum in alienam segregat;
Additq. dotem; ableget abs se ut modò malû:
Ast qui potitus est sibi immitem feram,*

Letatur

Latatur vsq̄, quando statua pessimæ,
Pulcherrimum ornatū apparat; peplaq̄; genus
Omne cōem̄it; lapidans peculium domus.
Nec iam facultas segregandi; affinium
Clarorum enim ergo, fert vel ingratum torum:
Aut si propinqui futiles; uxor proba;
Tum pensat infortunium bono opprimens:
Carere utroq. aptissimum. aut ducenda si
Erit uxor; insulsa & stolidā, ducenda erit:
Solertem ego odi feminam: neq. approbo,
Quæ sapiat, ultra muliebrem sapientiam.
Uafriciem enim facilius ingenerat Venus
Sapientibus: stolidis, stoliditas ipsa, pro
Sapientia, & custodia est; cuius rei
Illustre sim exemplū ego; dari exempla siquidē
Tanti interest; faxo, meo magno malo:
Frugi futuram quamq. vel millesimam.

Ch: Pauesco, quo euadas Domina, quouē accidas:
Cui displicent enim omnia; nihil is boni
Incogitare potest; neq. sibi, neq. alijs.

IE: Tu si hoc loci esses, ubi ego sum; aliter diceres:

Ch: Illa tua dicta priora potius dicerem:
Nam longē, ijs potiora, quæ dixi modō.

IE: Erras; seuera, & sancta dicta, si putas
Vitæ seueræ, itidem esse pignus, & notam;

*Plerumq. castissima loquuti; viuimus
Turpissima; & fucum facimus hominū auribus.*

*Ch: Non laudo fucum; sed vel improbissimis,
Concedo sermonem probum; ne duplicem
Ad facta, dictorum aggerent recordiam:
Tum sæpe, ut aegris, sanitatis mentio,
Ad sanitatem consequendam, ansam dedit;
Ita dicta cum virtute, vitiosissimis,
Virtutis ineundæ dedere exordium.*

*IE: Vitij ego antistare iudico omnibus
Hypocrisim, & simulationem; quò mihi
Sincera verba; vita si insincera sit!
Potius probo; malum, ut malus viuit; malum
Videri, & execrari ab omnibus; ita enim
Mali, malos faciunt bonos; dum ipsis palàm
Male est; quàm in occulto alere mentē subdolā.
Nec mihi aliter sit: posteaquàm me Deus
Quidam maleuolus, vel meum implacabile
Fatum, vel obstinata vis Fortunæ, eò
Adegit; ut videns, sciens, ineam scelus:
Ita videar, ita differar, vulgo palàm;
Qualis palàm viuo: nec est, cur obtegam, aut
Fugiam malum; ex quo alijs futura cautio est.*

*Ch: Domina, potestas non potest tantum mea,
Ut arceam, vel comprimam facinus tuum;*

Hoc

- Hoc te tamen per dexteram tuam rogo;
 Praesente me, ne quippiam ferocius
 In te audeas; unde imputari mihi quoque
 Possit, tui periculi, periculum.
 Sed sustine tantisper; usque tibi tua
 Nutrix redeat; hanc testem habe, quicquid te erit.
- IE: Quò tandem abiit illa; quò me deserit!
 Ach mater, ach, cessare nunc non expedit.
- Ch: Quaesitum abiit philtrea; tam oblita subito es!
- IE: Nugas meas: quæ philtrea! decumanis ego
 Hic interim iactor, flagellor fluctibus.
- Ch: At iam redibit: per breuem tolera moram.
- IE: Amor moram non tolerat: ach me, ach occidi.
- Ch: At iam redibit; audio sonitum pedum.
- IE: Maiorem ego sonitum, misera, animi audio.
- Nv: Quid est! quid hic factum est! quid incensa Domi
 Quid hic inornatus sibi poscit status! (na es!
- IE: O mater, o mea mater, ut me deseris!
- Nv: Ego desero! quæ isthinc cucurri prope volans.
- IE: Nihil mihi tua cursio, & recursio.
- Nv: Philtrea attuli; quibus tibi fiat bene.
- IE: Neque philtrea, neque dicta, neque iam ullam denique
 Curacionem curo: quod semel animo
 Statui, & recepi; id omnibus rationibus
 Audere certum est: vosque maiorem in modum,

Quæso, & rogo; vel adiuuæ sitis mihi;
Vel ne repugnetis meæ sententiæ;
Decretum enim est, audire neminem: neq.
Illa mihi dicta, quæ prius differuimus,
Reuocate; nam illa dicta sunt labris tuis;
Animus fuit alibi: scio me feminam,
Scio Dominam esse; quod volo vobis quoq.
Deliberatum sit; meaq. verba placidè (culos
Admittite. Ego cum primùm in hunc iuuenem
Conieci, & hausi amoris ignem; rem rata
Sum facilem, & in manu mea sitam aggredi;
Qua, ubi libitum animo foret, possem frui;
Ipsumq. iuuenem, sicubi id rescisceret,
In parte non parua beatitudinis
Ducturum; amari ab Hera, & rogari: tempore
Itaq. aucupato; adorta solum; detuli
Cupidinis meæ voluntatem; palàm-
Que fassa postulauit: At ille, ferreus,
An fatuus incertum, an ratus fidem suam,
A me experiri, vel peti in periculum;
Repulit volentem: quin seuerioribus
Hortatus ad modestiam est sermonibus.
Qua me fuisse mente tum putabitis!
Aut quid animo volutasse! non tamen adeò
Fui maligna; quin secundò, & tertio,

Scelestum

Scelestum adirem; passa identidem graue
Repudium: egone me ita miserè frustrarier!
Egone me deludier gratis sinam!
Meon' periculo, ille sanctimonias
Impune venundet suas! iocumq. me
Sibi habeat impurissimus! quasi innocens,
Quasiq. mulieris insciens sit; qui alicubi
Diobolarias apud lupas, suam
Obscœnitatem prostituit: ach me: illenè
Mibi hoc negarit! ubi melius, & tutius
Potuit locare: seruulon' ego improbo
Preces meas obtruserim! cuius preces,
Nec vir, nec hominũ quispiã unquã inaudit.
Verum esto: petij; sed Domina; sed petij Hera;
Neq. potui forsan adeò demittere
Animum; atq. seruilis animus deposceret.
Rarum est; amore à femina virum appeti;
Neq. prostitutas inter, hoc inueneris;
Quantò profectũ à Domina, inertẽ in seruolum
Insuetum, inauditumq. habebitur magis!
Voluisset ille forsan, & concederet:
Sed fortè ego imperiosè id ambiui; & animum,
Rerum incapacem maximarum absterrui:
Submissio, atque blanditia, coagulum est
Amoris; æqualesq. gaudent aptiũs.

Itaque,

*Itaque, priusquam quicquam acerbius in eum,
Consulo; aliam viam mouere, omneq. genus
Demissionis, & precum, statui ingredi:
Atq. huius ergo, occasionem publicæ
Solennitatis aucupau; sola cum,
Solo, vt domi relicta, commodius meum,
Propositum inirem: eaq. causa, falsam eam,
Finxi ægritudinem; nisi, quod amor omnium,
Morborum, & ægritudinum longè instar est:
Totamq. familiam, abdicau ex ædibus;
Vt & ille tutius mihi fidere; & ego
Animo meo, tranquillius possem obsequi.
Nunc in tua opera præcipua spes: nunc tuam,
Fidem patere: nunc benevolentis animi
Specimen dari: nunc studia, nunc officia, nunc
Consilia veteri promi oportet. si mea
Non temerè dicta mater olim es; si tuo
Nutrita lacte, si tuis à paruola
Verè manibus educta, in hanc creui indolem;
Si deniq. esse, & viuere, & saluam domum hanc
Incolere me vis; neq. suasionibus
Iam ullis mihi obstrepe; neq. ab incepto auoca:
Fixum, receptum, constitutum est; iam nihil
Admittere aduersarium placito meo.
Quod ista per genua tua: per dexteram:*

Per

Per hos mihi charissimos canos tuos:
Per, quicquid ex me dulce fuit unquam tibi;
Oro, obsecro, obtestor; iuua quantum potes.
Miseresce deniq: Nv: Quo is! quo abis! quo te abripis
Domina! heu senectam, heu pessimam aetatem meam:
In hoc nē ego seruata vixi opprobrium!
Quid faciam amicæ! audebit illa perperum,
Aliquid, nisi obsisto; nec obsistere satis
Queo. In iuuenta qui malum putant mori;
Malè computant: quò plura viuas sæcla enim;
Plura videas, plura facias, mala. optimum
Aut non oriri; aut illicò exortum mori.

Strop. I.

Ch: Superùm quis nunc potens!
Humanam eripiat mihi
Formam; generiq. auium,
Compositis ad brachia pennis
Adscribat; ut vel columba,
Vel hirundo querula sim.
Illicet, pernicibus excita alis,
Hominum fugiam cœtum;
Secessusq. remotos
Siluarum; incola præpes,
Cum lupis, aut cum leonibus.

Concelebrem. Quid enim

Antist: I.

Hominum consortio,
Structum est perniciosius!
Natus licet indole sis
Magnanima; sanctiq; tenace
Cœpti; nec usquam caducum
Animum spontè violes;
Plurima invito tamen, hinc & inde
Scelerum genera illudunt;
Turba emissa forensi.
Quin, speres minus unde;
Assilit damnum inde; & ignis,
Suppositus cineri

Epo. I.

Fraudulento, improvidos suc-
-cendit: hoc, supina corda,
Non doceas facile,
Qui posse vini non putant;
Nisi ad superbi, purpureum latus
Herois; aulæ in misero strepitu;
Mensæ mancipia, & cibi:

Quos

Quos inter, ut paludum,
Circa fluenta putrida,
Acre genus vesparum; examina

Strop. II.

Scelerum, nimbos rotant;
Morsuq. obuia corpora
Quaeq. inuolitant strepero.
Nam Iuuenem fata hunc voluissent
Seorsim, casa in paupere, igno-
-bile saeculum trahere; vis
Tanta noxa, nunquam in eum ingruisset.
Utinam effugiat magnam
Labem: possibile at non
Est; pestis, Domini, quum
Dant fenestram; quin per illam
Transiliant famuli.

Antistro. II.

Potuit qui absistere
Lapsu; non hominem hunc ego
Dicam; sed superum ex genere:
Legibus his, nam conciliata
Quum vita sit; degere alter,
Opera absq. alterius, ut

*Non queat: sed, pars Domini, atq. dites
Geniti; tenui censu
Serui, pars habeamur:
Plebs à dite fouetur;
Diues à vulgo tuetur;
Fitq. ita subsidij.*

Epo. II.

*Mutuū vinclum; gregatim
Viuerē omnibus coactis.
Magnum operæ precium
Peruincit is; qui Syrtibus
In hisce, fido remige consilij
Tianare, tristes scelerum scopulos,
Pertendit; liquidumq. iter
Virtutis, integra instat
Rate: enatandum cautē enim est;
Saxa, ubi lymphæ cælant, per fida.*

*Nv: Mensas Deorum, quæ feruntur splendidae,
Nō mutē ego hodie; præ hoc, quod aspexi modò:
O omnium, unquam, quæ quidē oculis viderim,
Spectaculum, sanctissimum, & grauissimum.
Non me senectæ, ætatis, ut ut est improbæ,
Ac permolestæ pœnitet: neq. tandiu
Traxisse vitam tædet; unum ob hunc diem:*

Vel

*Vel moriar; haud mœrēs domos visam inferūm.
Tantum, tam inauditum pudorem, tam ratam,
Mentem, tam ineuictam fidem, vidisse me!
Virtus, honorum ô Domina virtus omnium;
Quanta est potestas, quanta maiestas tua!
Tu cui ades; per ignium, per ensium,
Aciem obuiam, securus iter inuenerit.*

Ch: *Obsecro, quid factum est! animi enim pendeo.*

Nv: *Facinus, puellæ Egyptiæ, facinus supra
Hominum fidem vidi, supraq. memoriam.*

Ch: *Nūm perijt ille Iuuenis! aut Dominae malè est!*

Nv: *Salua Domina est, & Iuuenis ipse saluus est.*

Ch: *Respirò; utriq. enim nimis timui malè.*

Nv: *Tantamné virtutem cadere mortalium,
In quempiam! iuuenta, peruicax mea
Iuuenta; quàm te pessimam transegi ego.*

Ch: *Obsecro fare; quicquid hoc factum intus est.*

Nv: *Fabor; sed impudentiamné in Hera, magis
Demirer! anné in Iuene sanctimoniam!
Stupesco tota: nec scio, unde exordium
Sermonis insequar. Nam ubi primùm attigit
Thalamum, ubi sese collocauit in toro;
Verbis venustis, blanditer me primitus
Appellat; atq. postulat; parcerem animo
Egro illius; lacrymasq. fundit quàm ampliter:*

Peccare se inuitam; neq. satis scire, quid
Se fiat: hocq. velle maxime; ut malo
Absistat; idq. serio gaudere; quod
Tam pertinacem ingressa amoris ludum: ita
Ludi magistrum naeta planè ferreum;
Obnoxiamq. illi esse; verum linquere
Subito furorem non valere; omnemq. spem
Salutis, eius ponere in prudentia:
Persuadet insuper, intrò ut ipsum accerferem,
Quem ego pauorem, quem pudorem, dum voco,
Illius obseruavi in ore! quam ad meam
Vocem profatam palluit, perq. horruit!
Venit tamen, subnubilo qualis die
Nimbo impeditus, purpurascens Lucifer.
Ut adstitit, ut accersionis mititer
Perquæsiit causam; illa, qualis prima nix,
Vibrante solis igne tacta, languida
Illius aspectu liquuit, inq. gemuit;
Penitis grauem vrgens spiritum ex præcordijs;
Effata tandem. Ago, habeoq. tibi gratiam
Josippe; languenti mihi quod adsies:
Utinam referre essem potens, tuq. sineres:
Obsequium amicos experitur: sed quò ad
Vita mihi; cogita tibi me obnoxiam:
Nunc, quid te opus factò velim, sic accipe:
Verum

Verum huc ades dum propius, ut in aurē loquar.
Hic ille, ceu petita ad aram victima,
Cunctatus, immoratus; accessit tamen.
Ast illa, velut accipiter, ales lethifer,
Alto columbam consequutus æthere,
Dextra prehendit; sicq. dicto efferuuit:
Iam te teneo, proterue, iam te hostem meum,
Potita capio; vel ambio potius capi;
Velis modò ipse: quid tibi, me supplicem,
Toties refugis! ægram quid vsq. animā enecas!
Crudelis: vlla si tibi obseruantia
Mibi debita, scintilla foret: ipsissima
Superbia totus nisi intumesceres;
Primis precibus, olim haud repugnasses meis:
Idq. vel Herili dignitati cederes;
Vel amoris efflicta dares vehementia:
Qua urgente; Herā me oblita, ad hæc vilissima
Abiecta verba, deuoluta sum tibi.
Ergo sapi: illatamq. contumeliam,
Præsentē studio redime: siue enim mihi
Diffisus; aut iterum rogari impensius
Volens, cupitum distulisti tandiu;
Iam facio id ipsum, quàm antea accuratiùs:
Constansque, eodem sto voluntatis gradu;
Vt nulla subsit suspicio animi mei;

Eamq.

Eamq. nuperam aegritudinem, tibi
Finxi, tibi decubui: ut ut meritis, tua
Vtere, vel uti sine: neq. dubita sciens:
Malisq. amicam, & beneuolam lucrarier;
Quam odijs perennibus, nisi illicò caues,
Sequacem, & vlttricē: neq. enim eam animi mei,
Oblationem, impunè committam fore.
Vel ipse vir, Dominus meus, cui peruice
Tu, empticius es, faxo, meam hanc iniuriam,
Tuo capite vindicet; Heramq. me tibi
Ostendat: hoc dicto, interim effusissimè
Collacrumauit: & quasi toro adflectier
Iuuenem sategit. At ille, ceu sæuo mari
Saxum, sonoris oblatratum fluctibus,
Rigidus reflexit; vultu, & habitu, masculam.
Quandam, undecunq. præditus minaciam;
Oculumq. pernicē, modò ad me, modò ad eam,
Identidem circumtulit: tum pauca, pro
Re fatus; officij, fideiq. monuit;
Magnamq. legem, iusq. iurandum tori,
Testatus, hortatusq. sane sanctiter,
Petijt; pudorem, integritatemq. legeret
Præferre, momentaneæ libidini;
Huic namq. præstò adesse pœnitentiam;
Dolore quæ factum quidem percelleret;

Infecta

Infecta verò facta nunquam redderet :
Adeſſe quoq. pauorem, & æternum metum,
Qui, dedecus ſuum, latere, maximi
Putet; idq̄ ſollicitudine perenni aucupet.
Aſt coniugalis dona conſuetudinis,
Gaudere ſecura voluptate, & mera;
Fiduciamq̄. conſcientiæ, tam apud
Deum, quàm apud homines habere: ſe ſatis
Meminiſſe, mancipiũ eſſe; Heri peculio
Emptum; itaq̄. malle, iure Herili ſubditum
Haberì ab ipſa; quàm facinoris vllius
Socium: paratum potiùs extrema omnia
Subire; quàm ſe ſcelere tanto adſtringere:
Deſineret optare, quod ap̄iſci ſit nefas:
Autorq̄. potiùs eſſet, ad ſobrium aliquid
Seruo imperandum; hanc fœditatem, vel nece
Et morte, ſemper ſe redempturum. Hæc, & his
Similia proloquutus, arcebat manum.
At illa, ceu furens lea, in leuem hinnulum,
Elata ſaltu, dentibusq̄. exercita,
Deſaniebat; ſanguineam aciem rotans;
Totiſq̄. cervicem inſiluit amplexibus;
Meus, velis nolis, meus es, uſq. infremens:
Vimq̄. afferebat planè inornatiſſimè.
At ille, ceu ſerpentium feralibus

*Spiris ligatus; impetu omni, euoluer
Ardebat; acriter, simulq; miseriter
Luctatus; & collum eripere nodo appetens:
Beneficio donec fluentis pallij
Elapsus; ipse eliminauit se ex fore;
Vestem, tenentis liquit in complexibus:
Ego subsequuta; ad vos cucurri huc illicò:
Sed timeo malè, ne in se ferum aliquid audeat.*

Ch: *Mane, mane; eccum prodeuntem ipsam intucr:
Quàm torua, quàm seuera, quàm facie ferox
Incedit! orba ceu sobole Tigris furens:
Gestatq; præ se pallium extentum manu.*

IE: *Iè, ie; quis unquam, tot malis, miserum meum
Nomen, putasset concinum colludere!
Iè, ie: ter & quater, libet nunc proloqui;
Nam tantus obstat me malorum exercitus.
Quæ matre nata, auctoritate apud virum
Summa, potentia in familiam maxima;
Atq; ipsa nupta non minorem in habentiam;
Virumq; nacta, principem ex primoribus;
Heu, spreta, despicata, seruo pessimo,
Ludibrium, iocusq; , in hunc viuo modum:
Vanissimam, an nequissimam me dixero,
Hereo animi; quæ supplicare ultroneè,
Quæ subijcere se se scelestissimo homini*

Sustinui,

Sustinui, & obtuli; quod oblatum, omnibus
 Miraculo sit; quodq. nemo non velit,
 Quam nunc triumphat! quã cachinat! quã crepat!
 Faber malorum, columnen impudentie,
 Corruptor, explorator, exesor meus;
 Maleficus ingratisissimus! nam quid aliud
 Hoc esse dicam! quã merum maleficium,
 Operamq. Dæmonum; quibus iam venijt
 Totus superstitiosus, & Dæmonicus,
 Cultor aliorum absconditorum numinum:
 Neq. facies, neq. species enim illius
 Tanti est; meo Domino anteferri ut digna sit;
 Neq. indoles constructa amori: quicquid est,
 Veneficum ludibrium est; quo me excitam,
 Ideo impetiuit; ut vel illusam palam
 Vulgo propinaret; suamq. perfidam
 Dedecore quæsitam meo, constantiam
 Iactaret; aut Orci coactam ad incitas,
 Vita, domoq. exueret; ipse, quod facit,
 Regnaret, & rebus potiretur meis.
 Non sic abibit, non. quid ergo! an par pari
 Referã! arteq. hanc artem exeam, atq. vindicẽ!
 Veneficosq. adeam; ut quibus me nunc modis
 Ille furiatam habet; habeatur inuicem
 A me: ardeatq. inuisus, & spretus mihi!

*Sed facerem honorem illi, mibi fastidium;
Amari enim, vel amare, eandem eunt viam.
Non sic abibit, non: capite iniquo ipsius,
Profitebor illi, me esse Heram; vitæ, & necis
Iuxtâ potentem; amico, amicâ; hostem, hosti: ita
Eat; aude anime, facinus viri non plebej
Uxore dignum: vestis, heu sacerrumi,
Atq; omnium mibi virum inuisissimi
Vestis, hominis: ten' ego tenere! ten' sinu
Meo fouere! ten' manu contingere
Sustineo! verum sustinebo, donicum
Vlciscar: ach me; ach me; ardeo iracundia:
Incipe anime; & memento me esse feminam.*

*Nv: Nec adiuvandi, nec refrænandi tui
Vllum inuenio modum, Domina: tantis malis
Vexaris; ut stupere vix satis siet.*

*IE: Comperce dictis obsecro mater mea;
Ne me pariter in te esse cogas impiam:
Nempe tibi plus cordi est sacrilegus ille; quàm
Vel fama, vel salus, vel afflictio mea:
Ut pænè condictum esse vobis suspicer.*

*Nv: Hau filia, hoc meruere tot studia mea!
Quæ huc vsq; sensi liquido, ab ipsa infantia.*

*IE: Multa beneficia; unum maleficium opprimit:
Ne ergò mibi ansam ingratitude duis.*

Nv: Non

- Nv: Non do: neq; prius quicquam habeo rebus tuis:
Quantumq; potero, sedulo iuuauero.
Hoc te tamen obedire postulo mihi;
Cedamus intrò; feminas non est decens
Foris manere: tum cauendum; ne inscias
Offendat adueniens Herus; meq; increpet.
- IE: *Adueniat utinam: offendat utinam: nil magis*
Aueo; quam in hoc misero, me ut aspiciat statu.
- Ch: *Non feceris Domina; sed ausculta tuis*
Potius amicis; qui tibi censent bene.
Age, potius propera ingredi talami forem;
Nam vox, quasi aduentanti in aurè mî aduo-
- IE: *Nihil agitis puellæ; amâstis forsitan* (lat.
Nunquã, meumq; malum parum perpenditis.
- Ch: *Obsecro, Domina, obsecro; Herus iã ad limẽ est.*
- IE: *Ach me, ach, inertẽ: ô lacrymæ, ô fletus, meum,*
Olim inquilini sempiterni luminum:
O anime, iam satis malis exercite:
Nunc cernitur certamen: arma nunc sonant:
Accingere, insta, strenuum ostende hostibus:
Heu perditam, afflictam, omnium miserrimam
Me feminarum, quotquot in terris agunt.
Ach me, ach me.

FAETIFER.

- Quid est! quid hęc turbæ est! qd agrimonie!*
Quid ante limen statio! quid turbatio!
Vxor, satin' salua: Ic: ô Dñe. Fæ: Quid habes! qd est!
IE: O Domine. Fæ: fare quicqđ est! Ic: Perij, occidi.
Fæ: Num causa morbi inualuit insolita adeo!
IE: Solitum nihil perpetimur: insuetæ omnia.
Fæ: Meliora Dij: Ic: Pereo, Domine, pereo, nisi
Iuuas: Fæ: Iuuem libens; modum doceas modo.
IE: Nunc, quid me ames; nunc, coniugem si me tuã
Verè putas, da publicum indicium hostibus
Meis. Fæ: Quid est! quis te appetijt iniuria!
IE: Per dexteram, Domine, tuam; per mutuũ
Sumptam, & datam fidem; per omnia fœdera
Consortij nostri. Fæ: Quid est! fare ocyus.
IE: Vlciscere inimicos: tua sum, ut ut sum: meus
Pudor, tuus pudor. Fæ: Quis impudicã habet!
IE: Non habitio hęc tibi; mera at violatio.
Fæ: Violatio! quid ais! quid! hem violatio!
IE: Voluit adulter; sed fides mea noluit.
Fæ: Quis is! quis ausus! clariũs fare, loquere.
IE: Quem neq; beneuolentia tua; neq; fides mea;
Neq; fas, nefas, quicquam mouët; qui pessimus
Viget omnium; nescitur interim ab omnibus.
Fæ: Vxor Deos obtestor, ede quisquis est.

Quem

IE: *Quem tu nisi omnibus modis ulcisceris;
Hucusq; tecum mansio fiet mea.*

Fæ: *Freudeo animi; comperce quæso ambagibus.*

IE: *Bonitatis, indulgentiæq; tuæ, cape
Fructum: hoc tibi sit prætulisse cæteris
Unum; hoc tuum seruis amorem ostendere:
Quod ego pudoris clade tandem sentiam.*

Fæ: *Nō minus id interest mea, quàm unquam tua:
Effare per Deos; ferox nunquam tu ita
Futura es accusando, quàm ulciscendo ego.*

IE: *Hæc vestis expediat; quam adulter territus
Clamore nostro, liquit elabens fuga.*

Fæ: *O Dij, Deæque; quod facinus ego video!
Hæc vestis est quidem Josephi; quem unicum
Ego, fide, & virtute, præstare omnibus
Existimaui: vix adhuc inducere
Animum queo; ut credam. obsecro, coniux mea,
Iocor loqueris, an serio! Ie: Nunc tu tuum
Morem, scio, tenebis; ut cuius fidem
Potius adhibeas, quàm mihi: heu me pessimam:
Heu me scelestam; quæ ausa non sum; quæ tibi
Tantum fidelis esse satago; te interim
Meum pudorem postputante, & obuium
Sinente, cuius seruolo abiectissimo.*

Fæ: *Quid itaq; me vis facere! num umbras insequi!
Aiens,*

*Aiens, nec aiens : indicans, nec indicans :
Eloquere quisquis est ; enim præ isto tuo
Pudore ; tantum abest, Iosephum ut postputem ;
Ut ipse quoq. Rex me habeat hostem ; tale si
Quicq̃ ausit in te : ergo expedi, quò euasit ? aut
Quò erupit ? aut ubi sit ? Ic. Quid ego misera id sciam !
Felicittatis parte quæ habeam in maxima ;
Quòd fugerit ; quòd territus me liquerit ;
Quem neq. valetudo, neq. ægritudo, nec
Languor meus permouit. Fæ: Ite omnes mei ;
Ite illicet, per quicquid urbis, quicquid est
Regionis, exquirite ; penetrare, omnibus
Triuijs, quadriuijs, circulate ; ubi ubi ille sit,
Arripite sublimem pedibus ; adducite ;
Quandoquidè ita ipso facinore meritis suo est.
O misera fortuna : ô misera magnatum,
Felicitas : quis te expetendam censeat !
Quisue inuidendam ! nisi fatuus, & insciens ;
Colore quæ externo, beatitudinem,
Mentiris ; intus sorde putrescis mera :
Hæc namq. pectora, quæ videntur splendidum
Quiddam nitere ; auro, atq. purpura super
Intecta ; fortè si reclusa quispiam,
Aperiat, aut oculis penetret Lynceis ;
Cruciatuum, laniatum, tumultuum,*

Inueniat

Inueniat officinam ; & incudem affatim,
Plagis dolatam : quippe pluribus domi
Ut imperemus ; seruiendum vltro est foris ;
Dominiq̄ maiores ferendi ingratijs.
Porro, ipsa ea imperatio, non fit sine
Summo labore, molestiaq̄. siue enim
Humanitate vtare, & indulgentia;
Licentia viam instruas: siue potius
Seueritate ; odio, atq. contumacia.
Omnino hominibus praeesse difficillimum est.
Neq. pecudum vlla gens, ita intractabilis
Habetur ; atq. homo. quae enim vnquam arma, vel
Boum, vel aliarum id genus gregum, suis
Pastoribus, inimica visa, auditaue
Sunt ! vt vel insidias inisse ; vel necem
Patrasse ; vel nouasse dirum quippiam,
Sategerint ! imò, & quò eas direxerit
Opilio, eunt: & quae vireta pascere
Ostenderit, pascuntur ; & quibus locis
Arcuerit, absistunt ; fruiq. commodis,
Et vsibus suis, placide, & vltro sinunt.
Quorum omnium, contrariam sententiam,
In homine videas ; vt vel hic Iuuenis meus,
Quem ego mihi charissimum delegeram ;
Quem rebus omnibus meis praefeceram ;

Quem apprimè amaueram ; quibus modis, meã
Fidem fefellit! hæreo maximè animi,
Summo ex amore, summũ ad odiũ, quĩ queam
Descendere: audendũ est tamen. communio
In rebus alijs esse, in uxore haud potest.

Iof: Adsum Domine. Fæ: ubi fuit! ubi latuit! ubi tã
Subitò repertus est! Fæ: In area ædium.

Fæ: O per fide; aut, quibus imprecationibus
Tandem utar in te; quem neq. fides ulla; nec
Indulta plus nimid beneuolentia mea;
Nec ius, nec ullum fas; nec emptitia infima
Cõditio memorẽ habuit; scelere, quantũ pote est,
Sacerrumo, quin vulnerares me, & meam:
Heu me; quòd irasci tibi sat nescio.

Quid mutus es! quid conticescis! quin mihi
Scelestes respondes! Io: Quid ego respondeam!

Fæ: Respondeas etiam, ô Iosephe, ô omnium
Quondam mihi charissime; at nunc omnium
Fædisime, inuisissimeque: quid pallium!
Quid vestis hæc! cuius est! Io: mea Dñe. Fæ: video
Tuam esse: & ardeo dolore: nec scio
Quid te insequar: sed quid moror! vos illicet
Abripite eũ hinc, vultu ex meo; atq. in carcerẽ
Quantum pote est teterrimum, compingite;
Donec, quid illo fit, statuo per otium.

O Iupiter;

O Iupiter; animantium omnium notas
Certas habemus; quibus inertes possumus
Dinoscere à gnauis; probū hominē, ab improbo,
Nullus character, nulla discernit nota.
Verūm, ô Iēmpsar mea, nimis diu aërem,
Crudum hunc bibisti; isthīc foris te ventilans;
Cedamus intrò: omitte verò animum asperum:
Expurge mentem: faxo, contumeliæ
Tantæ tuæ, digna ultione gaudeas:
Memento te agram; sanitas minimo solet
Neglecta perdi; vix parari maximo.

IE: Concedo: sed dilationes hæ, mibi
Parūm probantur; nam de adultero, solens
Transactio est; ut capite patratum luat.
Nimis metuo volgariū dictum vetus:
Differtur; aufertur: Sed experiar tuam
Meo in pudore vindicando instantiam.

Strophica.

Ch: Quūm mente me ab terris fero;
Et templa cæli, lumine contuor;
Vicibusq. cuncta fixis
Ire, & redire cerno:
Noctem, cedere luci;
Lucem, nocte recondi;

Caniciem, ninguidæ
Hiemis, vere resolui;
Et sertis florentibus
Redimiri; frugibus
Maſtam æſtatem, deinde venire;
Tandem autumnum, pomis, uis-
Quæ datis, hiemem reuocare;
Eumq. iugem circulum,
Meare, & remeare;
Curam Deos habere rerum,
Atq. eſſe providentiam
Agnosco; plena tranquillæ ſpei.

Antitrophica.

Mox deinde, ubi humanas vices,
Ludumq. fortunæ ancipitem, & gradu
Dubio, reuſa fata
ſpecto; palamq. cernos;
Impunè ire nocentes;
Virtutem male plecti;
Omnigenis peſſimos
Opibus, præſidijsq.
Pollere; insultareq.
Melioribus; neq.
Defenſorem ullum, eſſe bonorum;

Magnum

*Magnum torporem mens sentit
Mea; sub dubium propè, fixam
Diuùm vocans potentiam:
Sed absit; potius nos
Stultos puto, Deos quàm iniquos:
Occulta multa sunt Dei
Decreta; nulla non iustissima.*

Iambi.

*Verùm, ô puellæ, non sine scelere, nos quoq̃
Sumus; innocentem, nil merentem, innoxium,
Palam impudenti percitum calumnia;
Nostro, quòd adiuuare testimonio,
Neglexerimus. idem est enim, perdere aliquem;
Et sinere perdi; nec vetare, dum queas*

SEMICHORVS.

*Siquidè queas: sin verò nequeas; quid aliud
Agas! paratum quàm tibi infortunium,
Sponte aduoces; vana est enim ops, sine viribus.
SE: Quid! veritati, nōne abundè virium est;
Aduersus impotentiam mendacij!
SE: Si veritatem, plebs homo deffendat; &
Deffendat Optimas homo mendacium;*

Mendacio referre primas, est facul:

Siquidem interest multum; ore quo, quid pdeat.

SE: *Actum illicet de veritate sit; ista si*

*Ratio habeat: nam pluribus, mendacium est
Cordi, idq. Summis; veritas paucis placet.*

SE: *Ita vivitur: quin saepe aliquis, infantia*

*Linguae impeditus; iusta quamvis dixerit;
Superatus iniusti viri eloquentia;
Causa cadit; iusq. minus obtinet suum.*

SE: *Ego innocentiam, eloquentiam rata;*

Tu potius eloquentiam, innocentem habes.

SE: *Utinam, innocentia nihil potentius*

*Foret: utinam nil veritate, inter homines
Antiquius haberetur. ast contrarium,
Sentimus; ubiq. fraude, falsitateq.*

Potente rerum: maximum, & pulcherrimum,

Quidem facinus, is instituat; interritus

Qui veritatem, & innocentiam asserat,

Vel usq. vitae ad ultimum periculum:

Verum, qui id agat; idem valens, pollensq. sit:

Ne temere conando; neq. illi, cui cupit

Prodesse, quicquam prosit; & frustra suam,

Impediat operam; vel malum accersat etiam.

Namq. hanc vicem, me, teq. feminam ultimae

Sortis, potentem contra Heram aliquid ingredi;

Qui

Què quaeso, possibile sit, ut peruincere
Quiremus! adde, apud maritum, coniugem in
Crimen vocare; ubi ad mala, amor incredulus;
Ad bona, etiam sibi ipse sponte mentiens;
Què maximo esse posset absq. periculo!
Tum verò, Iuuenem ipsum nihil poscentem opis
Nostræ; neq. aduocantem in auxilium; neque
Verbum profantem; sed mero silentio
Quasi crimini consentientem, & se reum
Dantem; quid aliud cogitasse existimem!
Quàm, rē sibi esse, seruo apud Herū, cōtra Heram!
Vbi, una falsa lacryma eius apud virum,
Plus centuplo inueniat fidei; quàm sua
Sexcenta iuramenta: Quin spero, ipsam Heram,
Quanquam impiata scelere nunc vāsanat;
Carnifice mox vrente conscientia;
Patientiam, innocentiamq. eius, modis
Melioribus habituram; & ultrò pristinae
Tranquillitati reddituram: non leue
Momentum enim est patientiæ; quàm, vel Deo
Ipsi, ferunt gratissimam esse: multaq.
Illum, in bonos passim viros damna iacere;
Vt, quid ferendo polleant; spectet sciens:
Deinde spectatos coronat: quod de eo
Quoq. Iuene, mihi quàm facile persuadeo:
Omnino

Omninò enim curæ Deo innocentiam,
 Esse scio: credoq. ideo eum ex tam splendida,
 SE: Fortuna; ad hunc tetrum reiectum carcerem:
 Ut inde maior, atq. conspiciatior,
 Illustrius promatur, ad maius decus.
 SE: SE: St. mitius fare; ellum enim famuli betunt;
 Qui hunc, quem dolemus miserunt in carcerē:
 SE: Non sustinebo, quin rogem; qua deniq.
 Mente fuerit; quidué elocutus carcerem,
 SE: Introierit. probrorum enim virum, mala
 Fortuna; habet, quod discere ex ea velis.
 SE: Heus ô amici, iamné carceri est datus
 Iosephus? in quo tale compertum est scelus.

NUNTIVS.

Factum mulier, haud sine dolore maximo
 Nostro: neq. enim ego illum nocentem dixerim;
 Qui ita placidè, & animo sereno ad pœnã eat.
 Ch: Obsecro, quem se gessit? aut quid fatus est?
 Siquidè innocentē eum, ipsa quoq. liquidò scio.
 Nū: Magnum est referre mulier; ast fabor tamen:
 Quum primū, ita ut nosti, imperata accepimus
 Incarcerandi eius; stupor pœne illicò
 Me ambiguus occuparat; insolentiam,
 Facti exputans, repentè tanta ex gratia,
 Ingratiam

Ingratiam ad tantam reiectum ingratijs.
Itaque, neq; manus iniicere, neq. acerbius
Ductare, pristinae meae obseruantiae
In eum memor, potui; ipse sponte quin sua
Ibat, silens silentibus nobis quoq;
Neq; verbum ab illo poscere ausus quissiam;
Ad carceris donec forem peruentum; ibi
Ego, condolere me eius infortunio
Praefatus; inuitumq;, genus hoc munij
Obire; verum Heri imperata, haud exequi
Haud posse; prensavi, malo ne verteret.
At ille, perquam amanter, ad risum quasi
Attemperato ore, insit; ut se sub manu,
Arbitrioq; Heri esse, neq; quicquam mali, ab
Illo, grauatim ferre; ita imperia illius
Nos exequentes; tantum abest, ut vertere
Vitio; ut probare etiam obsecundantes Hero:
Seruorum enim esse; iussa Herilia exequi:
Se istam suam ærumnam Deo committere;
Qui semper innocentiae assertor fuit;
Tempusq; veritatis haud vanum indicem,
Sperare; quin malle alterius, innoxium,
Scelere perire; quam nocentes perdere:
Ne pereat, in se haud esse; verum in se esse, ne
Nocens pereat. hæc, atq; plura talia

K

Locutus;

Locutus; Ultrò carceri sese intulit:

Nobis genas prope lacrymæ perlabilir

Cœpere: neq; iam ille quoq; sine lacrymis:

Tum in genua sese humi dat; & sursum manus

Oculosq; tendens; tacitus ad Deum suum,

Orabat: orantem, noua quadam undiq;

Luce radiari vidimus; & umbram horridam

Carceris; oborto lumine aboleri: pauor,

Terrorq; nos strauit; caputq; ego meum,

Ausim pacisci; innoxium, infontemq; eum,

In vincla coniectum; & ideo mœreo animi,

Hæc q; ocyus, Hero nuntiaturus beto.

Cho: Obsecro. cuncta fare; nec quicquam occule.

Septenarius I.

Calumnia, ô calumnia;

Criminatrix innocentiae,

Inimica veritatis;

Linguae prodiga iniquae;

• Auratis laquearibus

Plerumq; ventilans facem;

Stultorumq; asininis,

Septen.

Septen. II.

Herorum abutens auribus;
Imperitia, atq; suspici-
- O; quibus cient inertes
Tecta voce susurros;
Fomentum implacidum tui:
Nec impij, periuria
Testes, perfida desunt.

Septen. III.

Verum premit comes quoq;
Pone, vindex pœnitentia;
Liquidaq; veritatis,
Tempus, serior index:
Nec turba aspera, pœna,
Cessant; sequaces criminum,
Terga urgente flagello.

Septen. IV.

Quantis malis, Heros meos
Implicasti, & innocentem eum
Iuuenem! timore frangor,
Ne fors exitium illi

*Supremum, acceleres prius ;
Innoxium quam se omnibus
Ostendat: mori amem ipsa*

Septen. V.

*Vicem illius ; nec deseram
Ultimum si iam periculum
Veniet ; palamq. testis
Prorumpam os in Herile.
Cum iusto melius mori est
Miserrimè ; quam vivere
Cum iniusto volupe æuum.*

Iesu Christo laus & gratia.

C R A C O V I A E

In Officina Lazari:

Anno D.

M. D. LXXXVII.

CRAOVLAE

HO...

Anno D.

M.D.LXXXVII

In ...
...
...
...
...

In ...

...

...

